



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 112. Laurentiæ Strozziæ obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Bibliothecæ, necnon Vaticanæ typographiæ curam in se susciperet: ast Romam delatus jamjam Sixtum Papam morte sublatum compererat, ab ejus tamen Successore, qui idem consilium fovebat, ad emendanda sanctorum Patrum opera impendebatur, quo labore feliciter defunctus Antonii Caraffæ, Borromæi, Columnæ, Cusani, aliorumque Cardinalium, præcipue vero Baronii etidem Cardinalis amicitiam sibi demerebatur, die autem secunda Aprilis hoc anno ætatis suæ quinquagesimo quinto Romæ quinta post suam ad hanc urbem adventum die rebus humanis valedixit. Scripserat is adnotationes in septimum tomum operum sancti Augustini, ubi hic sanctus Doctor agit de hæresibus, eadem autem occasione Grævius persæpe cujusdam tractatus Historici, quem de Donatistis elucubravit, mentionem facit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

§. CXII.

*Laurentiæ Strozziæ obitus.*

Hoc item sæculo Rempublicam literariam plurimum illustrabant opera Laurentiæ Strozziæ, quæ non minus vitæ sanctitate illustris, quam eruditione ultra sexus sui conditionem conspicua erat, quamvis ob eximiam humilitatis suæ virtutem nunquam in am-

*Thu. 100.  
Eckard de  
Script. FF.  
Præd. 1. 2.*

Sæcul. XVI. plo mundi teatro comparere voluerit.  
A. C. 1591. Erat illa Soror celebris Quirini Stroz-  
 zii Nobilis Florentini, qui postquam  
 idioma Græcum, & Philosophiam Flo-  
 rentiæ, Bononiæ, & Pisis tradiderat,  
 anno Christi millesimo quingentesimo  
 sexagesimo quinto, ætatis suæ sexagesi-  
 mo tertio decessit. Ceterum Laurentia  
 ex Ordine sancti Dominici in Mo-  
 nasterio sancti Nicolai de Prato in Etru-  
 ria fuerat educata, ibidemque sacrum  
 hoc institutum professa, ubi etiam va-  
 riis linguis præcipue latina, & Græca  
 apprime se excolebat, atque ad quæ-  
 libet festa, quæ per totius anni cursum  
 in Ecclesia juxta Breviarii Romani cur-  
 sum celebrantur, latinas Odas, librum-  
 que Hymnorum composuit, & Horatiani  
 styli elegantiam communi litera-  
 torum judicio imitata, eum exactissime  
 affecta est. Edebatur hoc opus anno  
 Incarnationis Dominicæ millesimo quin-  
 gentesimo octogesimo septimo: demum  
 vero sancta hæc Virgo, postquam cun-  
 ctos vitæ suæ dies in assiduo sanctorum  
 Patrum, & Historiæ Ecclesiasticæ stu-  
 dio, necnon in pietatis exercitiis trans-  
 egerat, acuta febris confecta die deci-  
 ma Septembris hoc anno, e sua cella  
 animam Deo reddidit annos nata se-  
 ptuaginta septem.